

Mandatum erit, quod contrahitur <sup>q)</sup>. Sin vero res corporeae sunt, quae sequestrantur, aut procuratio earum et administratio in sequestrum transfertur, aut nulla opus est administratione, sed custodia tantum. Prius quum accidit, dicendum est, Mandatum esse contractum <sup>r)</sup>, quod vel in vnius rei, veluti immobilis, vel in plurium rerum, etiam mobilium, procuratione consistere potest <sup>s)</sup>. Posterius si fit, quod accidit, dum rei mobilis singularis custodia alicui committitur, negotium transit in aliud nomen, et vocatur *depositum*, si res data iam est <sup>t)</sup>. Nam si data nondum est, sed actum tantum de eo, vt detur, dicendum est, in nudae conuentionis terminis negotium substituisse, nec tum contractum esse depositum, quod ex rei traditione et datione vim omnem habet et naturam <sup>u)</sup>, sed conuentum tantum inter partes esse de deposito contrahendo, quale conuentionis genus solemus in scholis pactio-nem de deponendo adpellare. His igitur modis sequestratio ita perficitur, vt beneficium praestet sequester. Nam et mandatum, nisi

- q) Mandantur enim res incorporales v. c. iurisdictio; quod est potissimum. Quamuis autem non in omni iurisdictione mandata insit mandatum, i. e. non praecise per contractum mandati committatur alteri exercenda, et mandare iurisdictionem in genere dici possit, qui illam suo nomine exercendam alteri committit, fieri tamen omnino potest, et potissimum olim apud Romanos factum est, vt per contractum mandati mandaretur.
- r) Mandatum enim suscepisse et contraria actione mandati teneri dicuntur, qui rerum, vel rei vnius procurationem susceperunt, c. *si vero* 12. §. *contrario* 7. D. *Mandati*.
- s) cuius generis sequestrationis exemplum profert MEVIUS P. 7. *Decis.* 161.
- t) c. *depositum est* 1. pr. D. *depositi*.
- u) §. *praeterea et is* 3. Inst. *quibus modis re contrah. obligat.*